

QUÆSTIONES ANNO 1866

COLLATIONIBUS THEOLOGICIS DISCUTIENDÆ

in Archidiecesi Quebecensi



MENSE JANUARIO.

Quum quidam maximi pretii ager venderetur sub hasta, Petrus et Paulus, uterque ditissimus, soli licitatores adsunt. Post paucas licitationes, Petrus quinquaginta libras Paulo promittit ut desistat a licitatione, et ita ager vili pretio venditur Petro. Uterque autem piis exercitiis vacans, aliqua anxietate premitur in conscientia, et a confessario suo querit :

- 1° *An liceat pactum facere cum aliis ne plus offerant in venditione sub hasta ?*
- 2° *An possit aliquis alium rogare ne licitet contra se ?*
- 3° *An in venditione sub hasta possit secure aliquis emere infra infimum valorem rei ?*
- 4° *Quid in casu injungendum Petro et Paulo ?*

Sempronius novus parochus nullum invenit conopæum super tabernaculum in quo asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, neque super ciborium. Statim jubet fieri quinque conopæa variorum colorum liturgicorum pro tabernaculo, et unum album pro ciborio. Queritur :

- 1° *An sub gravi præcipiatur usus conopæi, tum supra tabernaculum, tum supra ciborium ?*
- 2° *Cujusnam coloris debeat esse illud conopæum, et an aliquando possit esse nigri coloris ?*